

www.e-rara.ch

... De venenis theoremata haec iatrophilosophika

Stupanus, Johann Niklaus

Basileae, 1594

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-8005>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

NUMINE ALEXICACO
DVCE AVSPICE.

DE VENENIS
THEOREMATA

ἡαὶ αἰατροφιλοσοφικὰ,

AUTHORITATE

AMPLISSIMI MEDI-
CORVM ORDINIS,

IN INCLYTA RAVRI-
CORVM ACADEMIA,

Præside viro clarissimo, Dn. IOHAN-
NE NICOLAO STUPANO,

Philosopho & Medico Doctore, Theo-
rias apud Basileenses Pro-
fessore,

PVBLICE DISPVTANDA
PROPONIT,

DANIEL NABOROVVIUS
POLONVS,

ad diem 16 Septembris,

In aula Medica, hora consueta.

BASILEÆ,
Typis HIERONYMI GEMVSAEI
CLO. ID. XCIV.



ILL. ET GENEROS.

D. D. D.

D. ANDREAE NARVSSEVVITIO KV.
PISCI DOMINO

D. SAMVELI ET
ALBERTO NARVSSE-
VVITIIS FF. GERMM.

MAGNI PATRIS
SMOLENSCI CASTELLANI P.M.
MAGNAE SPEI FILL.

PATRVELL. ET FAMILIAE
SPLENDORE

ET MAIORVM DIGNITATE

Quos sibi imitandos proposuere
CLARISS.

*Theoremata hac ἱατρικοφιλοσοφικὰ
Leuidensē quidem munus
attamen*

Prompti animi signum

DANIEL NABOROVVIVS

D. D. D.

DE VENENIS.

PROPOSITIO I.

VBI definit Physicus, ibi incipit Medicus, inquit Philosophus. *libro de Sanit. & Morbo.* Et sanè definit Physicus in vniuersali consideratione sanitatis & morbi; à qua exordiens Medicus, descendit ad particularem morborum omnium tradendam notitiam, & causarū, tum à quibus producuntur singuli, tum per quas expelluntur.

II.

Causas verò omnes, à quibus morbi producuntur, in certas quasdam distribuit classes, quæ ab ipso existendi modo determinantur. Et vel extra corpus sunt, *προπαταρσι* dictæ: vel in ipsius substantia latent; idq; vel morbum facturæ, *προηγμνοναι*, vel actu iam procreantes, *συνεχῆς* appellatæ.

III.

Ad has ipsas causarū classes, ea omnia, quæ tum actu, tum potestate morbos procreare possunt, refert; & proinde etiam venena ipsa, quorum hic tractationem suscepimus: diuerso tamen respectu.

IV.

Nam si ratione ortus venena cōsiderat, in classe causarum procatarticarum, quæ rerum non naturalium ambitu continentur, & non necessariò nobis occurrunt, ea collocat: at si effectum ipsorum spectat, quatenus scilicet corpus infestant; ad causarum morbificarum, quæ rerum præter naturam ordine comprehenduntur, seriem, ea refert.

V.

Vnde Medicus, dum venenum, tam ratione ortus, quàm ratione effectus considerat; commune quiddam habet cum Physico, imò & venefico: sine tamen ipso ab iisdem differt. Veneficus enim, ut nefario ausu genus mortale è medio tollat, venena pertractat. Physicus naturæ mysteria perscrutandi gratia hæc ipsa contemplatur. Medicus ab hoc cōtemplandi modum sumit; ab illo contrariam agendi occasionem arri-

pit: nec theoria nuda contentus, ἀντίθετος effectus à veneno excitatos depellere studet.

V I.

Porro veneni ortus cōsideratio, est ipsius naturæ & essentiae indagatio: ad quam priusquam veniamus, quid sibi velit vocabulum veneni determinemus.

V I I.

Venena enim in præsentī cōsideratione, cum Galeno 6. Epidem. parte 6. cap. 5. & 3. Temper. cap. 4. speciali significatione, non nisi pro ijs accipimus, quæ cum parva quantitate interimant, nullum vsum præstant commodum per se, nec benè ualentibus, nec ægrotantibus, & tota natura sunt nobis contraria: siue illa φαρμακὰ ὡς ἄχος φέροντα; siue, à Romanis mutuato nomine, δηλητήρια, quasi naturam humanam delentia & corruptentia, Græcis dicantur.

V I I I.

In horū naturæ & essentiae perfecta indagatione, tria potissimum sunt spectanda. Primum id quod agit: tum quo agit: tandem ipse actionis modus. Ex his enim rectè examinatis, τὸ τί ἐστὶ veneni inferri poterit.

I X.

Id quod agit est Venenum ipsum; quod quatenus est tale, naturam humanam corrumpere ac destruere, aptum natum est.

X.

Per naturam humanam hic cum Galeno nihil aliud intelligo, quam ipsum temperamentum, ex quatuor Elementorū mixtione productum.

X I.

Natum autem dico: hoc est, à natura procreatum. Quamuis enim natura, cum sit ἀσυνλόγητος, nihil tentat, nisi quod per se fertur in bonum finem: tamen non impedit, illam multa facere per accidens mala, in quorum numero uenena quoque reputantur.

X I I.

Id quo agit est ipsa qualitas veneni; quæ barbara uoce venenofitas, nonnullis malitia, & maligna qualitas appellatur: propterea,

propterea, quod qualitas veneni, in summo malitiæ gradu posita sit, ut grauissima symptomata, & mors repentina testantur, & ideò etiam malitiæ nomen absolutè meruit.

XIII.

Hæc ipsa malignitas in quo consistat maximè à doctissimis quibusq; cōtrouertitur: plurimis illam occultæ proprietati ascribentibus. nos iusta adducti ratione, illam in primarū qualitatum excessu quodam ponimus.

XIV.

Est enim rationi consentaneū, & unanimi omnium rectè Philosophantium consensu approbatum, qualitates primas omnium generabilium & corruptibilium esse principia; & ideò omnem actionem & passionem ab illis solis dependere, attestante Aristot. 4. Metheor.

XV.

Vndè infertur; siquidem qualitas uenenata, naturæ humanæ corruptiva sit; in his maximè consistet: & quò à maiori qualitatum excessu causabitur; eò magis in corpus aget: alias enim non corruptio sed alteratio fieret.

XVI.

Hanc igitur actionem efficit ipse modus mixtionis: qui, etsi naturæ soli à priori sit notus; nobis tamen à posteriori cognoscitur; scilicet effectu ipso.

XVII.

Vt & ipsas quoq; qualitates, nō tantum indicant accidentia modum substantiæ consequentia; sed ut plurimū effectus ipsi, quos in corpore humano sibi similes producunt, quemadmodum in signis audiemus.

XVIII.

Modus porrò actionis in veneno motu absoluitur. ubi cōsiderantur, quæ partim ad motus essentiam & naturam conferunt; & sunt mobile subiectum, mouens causa, & motus ipse: partim ipsi accidentaliter competunt; ut locus & tēpus.

XIX.

Mobile subiectum est corpus humanum; cuius cum variæ dentur temperaturæ, pro ratione regionum, ætatum, sexus, constitutionis anni, & similibus: constat variare actionem ve-

neni, ex modo fortioris uel debilioris temperamēti resistentiæ; quæ tota pendet à potentia actionis & passionis.

XX.

Causa enim actionis & passionis tota in contrarij ratione sita est, sine qua nulla actio fit: Sed causa facilioris uel difficilioris passionis est similitudo quædam cum contrarietate. Nam quæ cum contrarietate quadam sunt similia, ea à seipsis facilius patiuntur. Exemplum est in Elementis symbolis, quæ facilius afficiuntur mutuo, quam dissymbola; ut pote non ex omni parte diuersa, sed aliquatenus similia.

XXI.

Quæ verò omnino sunt similia; ea nullatenus sese immutare valent. neq; enim ferrum trahit ferrum; nec magnetem magnes. ut nec ea quæ admodum contraria sunt, facile congrédiuntur; tamen cum semel sunt congressa, plus moventur, quia longius distant. Sed si tantum sint contraria, quantum ad agendū est satis, habentia similitudinē, facilius compatiuntur, ut ignis citius movet aërem: sed magis agit in aquā.

XXII.

Hæc ipsa similitudo provenit à modo mixtionis, quā sensu quidem non assequimur, & ideo etiam uerbis exprimere nequimus: esse tamen quandam intelligimus ex hocce præcedenti principio Physico.

XXIII.

Et huc spectant quoq; accidentia ipsa modum substantiæ insequentia. Ea enim quæ res faciūt ad patiendum aptiores, coniuncta similitudini, facilitatem passionis addunt.

XXIV.

Movens causa est venenum, quod motum hunc qualitate sua inchoat & perficit: ubi contactus necessario requiritur; siue is sit mediatas, siue immediatus.

XXV.

Motus uero est ipsa actio, procedens à termino à quo, ad terminum ad quem; & corruptio dicitur: tendens scilicet à uita ad mortem corrumpendo.

XXVI.

Locus tandem est ipsa pars, in qua veneni actio perficitur.
hic

hic autem potissimum est cor ipsum, quod, tanquam vitæ principium, venenum principaliter adurit.

XXVII.

Causa vero, quod venenum principaliter corpetat, ex supra dictis colligi potest: scilicet analogia quædam, quæ inter venenum & cor est, à modo mixtionis profecta; quam quidē exprimere non possumus, cum naturæ soli sit nota; sed ex iisdem principijs Physicis colligimus, quæ suprà in potentia actionis & passionis adduximus.

XXVIII.

Tempus porro in actione veneni consideratur ratione velocitatis, vel tarditatis: quæ tum respectu corporis affecti, tum naturæ ipsius veneni spectantur.

XXIX.

Nec parum momenti ad hanc rem adfert, quo modo venena assumantur. Multa enim tepidiora per os exhibita, eò citius enecant, quod velocius à calore ascitio in actum deducta distribuuntur: ut è contra, alia cum vino fortissimo, vel multo sumpta, faciliè superantur, & sua actione frustrantur.

XXX.

Hinc Athenienses, cum cicutæ tenuitatem substantiæ deesse uiderent, eam vino albo tenui permiscebant; ut hac ratione crassitie attenuata, & celeriori digestionem facta, fontes cruciatu longo liberarentur: quibus subscribunt quæ docentur à Galeno 3. de Simpl. med. fac. cap. 18. & 19.

XXXI.

Huc quoque spectat qua quantitate venena exhibentur; cum nullum sit naturale agens, quod ad agendum commodam quantitatem non exigat: quæ quantitas in respectu ad alia atque alia æstimatur.

XXXII.

Multa enim minùs commoda quantitate sumpta, non tantum non enecant; imò potius à natura superata, in alimentum convertuntur, & in consuetudinem abeunt: ut exemplum recenset Galenus de Simpl. facult. lib. 3. cap. 18. de vetula quadam Atheniensi; quæ ab exigua portione cicutæ auspicata, nullo detrimento ad permagnam progressa est copiam.

Vnde

XXXIII.

Vnde & tempus præfinitum quo uenena agant assignari
nix potest: cum varia sit actio venenorum, pro diuersa eorum
natura, & vtendi modo.

XXXIII.

Ex quibus omnibus, natura & essentia veneni perspecta,
definitio ipsa tandem eruenda, & differentiae assignandæ.

XXXV.

Est itaq; uenenum, quod malignitate sua, ex primarū qua-
litatum dyscrasia, per modum mixtionis producta, naturam
humanam, corpori admotum, corrumpit.

XXXVI.

Differentiæ Venenorum ex præcedentibus deductæ varie
assignari possunt: & sumuntur tum ab essentialibus causis;
tum ab accidentibus communibus.

XXXVII.

Ab essentialibus causis; & primò quidem ab efficiente, alia
venena sunt simplicia; alia composita.

XXXVIII.

Composita venena omnia ad artem pertinent; sed magis
venefico quam medico dignam. quo nomine meritò Gale-
nus in quosdam ex antiquis animaduertit, qui compositio-
nem venenorum tradiderunt.

XXXIX.

Simplicia naturæ accepta referuntur; quorum omnes dif-
ferentiæ petuntur à materia. Et primò quidem à corporibus
simplicibus; vel mixtis.

XL.

A simplicibus quidem, verum non puris; sed quibus ve-
nenata qualitas permiscetur: qua ratione aer, aqua, & terra,
pestilentibus & venenatis exhalationibus infecta, venena
redduntur.

XLI.

A corporibus verò mixtis, tum perfectè; tum imperfectè.

XLII.

Ab imperfectè mixtis: ut sunt glacies impura, nix à pesti-
lentibus

lentibus vaporibus infecta, exhalationes venenatae, vapor ipse & halitus pestilens.

XLIII.

A' perfectè mixtis, & quidem vel inanimatis, vel animatis, vel animalibus ipsis.

XLIIII.

Inanimata sunt metallica omnia, ut Auripigmentum, Arsenicum, Chryso colla, Cinnabari, Hydrargyros, Magnes, &c.

XLV.

Animata sunt stirpes; quæ uel secundum totum, vel secundum partem venenatae sunt. Quo referuntur radices, folia, semina, fructus, succi; gummata, &c. Quorum Catalogum videre est apud Dioscor. & eius commentatorem Mathiolum.

XLVI.

Animalia vel in aere degunt; vel in aqua reperiuntur; vel terrestria sunt.

XLVII.

Quæ in aere degunt; sunt volucres, morsu, aut unguibus venenatae, quod etiam infecta referimus; ut Araneas, muscas quasdam, buprestes, vespas, apes, crabrones, &c.

XLVIII.

In aqua verò reperiuntur Scolopendra marina, Dracones marini, Pastinaca, Echinus, Torpedo, Lepus marinus, & id genus alia.

XLIX.

Terrestria alia sunt rationalia: qua ratione morsus hominis venenis connumeratur; alia irrationalia.

L.

Irrationalia porro vel sunt reptilia, & ferè perniciosissima; quorum genera descripsit Dioscorides: vel quadrupeda. Quibus fortassis connumerari possunt infecta quædam; ut pediculus vulturis, cimices, pulices. Hæc enim si iusta quantitate malitiam suam corpori offerre possent, ea proculdubio exitialis euaderet.

LI.

Hæc porro omnia vel in toto venenum habent; ut Aranea, Cantharides, Lepus marinus: vel secundum partes; ut est.

B cauda

cauda cerui, cerebrum felis, &c. vel in excrementis, ut saliva animalium venenatorum, sudor quadrupedum, sic alia dentibus, alia aculeo nocent.

LII.

Huc referri possunt ea venena, quæ in nobis ex longius grassata putredine, vel alia abditiore causa, provenire gigniç; dicuntur. quam quæstionem veteres disputasse, docet Galenus lib. 6. de locis aff. cap. 5. rationibusç; apertis collegisse, eosdem affectus fieri posse, & à læthalis veneni haustu, & à corruptione quæ à corpore scaturire potest. Imò Mesuæus, in sua praxi summa 4. scribit, vermes quosdam in corporibus nasci, quorum virus ex aculeis emissum, ad cor usque penetrat.

LIII.

Ad materiam quoq; spectat, quòd alia venena sunt solida, alia vaporosa: & hinc alia tenuiora, crassiora alia.

LIV.

A forma hæ hauriuntur differentiæ; quòd alia venena sint Calida, quæ Galenus 3. de Simpl. med. fac. cap. 18. & 3. Temper. cap. 4. genere deleteria vocat: Frigida alia, quæ quantitate tantum deleteria nominat. Calida per *μερανσιμ* calorem nativum resolvunt; frigida per *σβέσιμ* omnino suffocant. Ad sicca verò quòd attinet, illa non ascendunt ad summum gradum sine activarum auxilio: quemadmodum nec humida repiuntur in summo; cum humiditas magis medijs congruat, quàm extremis.

LV.

Quòd autem Galenus lib. 5. de Simpl. facul. cap. 18. quædam frigida inter genere deleteria numerat; ut fungorū nonnullos, & hydrargyrum: ipsemet sese explicat. 7. de Simpl. fac. cap. 117. vbi de natura fungi scribens, inquit, eum habere admistam qualitatem putredinosam, quemadmodum interpres loquitur.

LVI.

Quare, quòd quædam frigida evadant genere deleteria; facit id, quòd de putredinosi partibus communicant, ratione quarum inter genere deleteria recensentur.

Ex his

L VII.

Ex his porrò alia sunt fortiora, & quæ vehementius agunt; alia debiliora, quæ remissius operantur, pro ratione temperaturæ & similiū.

L VIII.

Sic quædam in minima & vix sensili qualitate interficiunt, vt quæ à vivis animalibus eiulantur: alia non nisi iusta portione enecant. Item alia agunt colliquando; alia corrodingo; alia putrefaciendo. Gal. 5. Simpl. cap. 17 & 20.

L IX.

Ab accidentibus hæc petuntur differentiæ; & quidem à loco. Alia venena intus assumuntur; alia foris applicantur, admoventur, & attrahuntur.

L X.

Quæ intus assumuntur, sunt ea, quæ vel inspirantur; & sunt præsentissima & efficacissima venena, cum nullo vehiculo ut in nos commigrent egeant; sed tenuissima cum sint, spiritu attracta, ocysimè per pulmones in cor viscus vitæ pri marium propagantur, & ipsius substantiam subito labefactant: vel cum cibo & potu seu assumptis ingeruntur; in quibus exhibendis, miri modi quotidie excogitantur à nefarijs hominibus.

L XI.

Foris applicata venena attrahuntur per meatus; qui vel sunt naturales; vel præter naturam.

L XII.

Præter naturā: ut ictus animalis uel alterius rei inanimatæ; videlicet telorum veneno insectorum: quæ continuum solvendo, meatum præter naturam faciunt.

L XIII.

Per meatus naturales variè venena corpus subingrediuntur. vel enim per poros cutis; ut venenum torpedinis, & ea quæ exterius illinuntur, per dilatationem arteriarum attracta, ex sententia Galeni libro 3. Simpl. cap. 17. vel per partes

naturales: vel per organa sensoria; quemadmodum per oculos venenum Basilisci attrahi dicitur; per aures Reguli: sed penes autores fides esto. Sic per nares fungi cuiusdam venenosi; per palatum plurima alia; quorum cognitio Medico est necessaria, cum ignorata causa effectus tolli non possit.

LXIV.

Modū vero, quo arteriæ, venena exterius illita, ad cor deferunt; expresit Hipp. libello de alimento, cum dicit. *ἀρχὴ μεγάλη εἰς ἑκάστον μέρος ἀφινύεται, ἐξ ἑκάστου μέρους εἰς ἀρχὴν μεγάλην ἀφινύεται.* Trāspiratu scilicet ad cor à suprema superficie, & à corde ad extremam superficiem deducente.

LXV.

Huc quoq; spectat quòd alia venena cor petunt mediātè; alia immediātè.

LXVI.

Immediātè ea omnia, quæ nullo alio viscere lēso, subitò ad cor ferūtur. talia autem sunt ea, quæ cum summo calore, partium tenuitatem iunctam habent; & facilè in actum deducuntur. ut & illa venena quæ inspirantur; aut à *θυρίοις ἰοβολοῖς* emittuntur: hæc enim, cum calorem à vivo animali impressum, tanquā vehiculum, sortiantur; subitò cor petunt; & idè etiam perniciosissima sunt.

LXVII.

Mediātè vero cor petunt ea omnia, quæ remissioris actionis sunt; vel destinatas partes primò afficiunt. quæ quidem in transitu partibus proximis primò aliquam labem aspergunt; donec tandem cordis arce ex pugnata, hominè medio tollant. Sic alias partes primo labefactat Lepus marinus, scilicet pulmones. Cantharides vesicam primo exulcerant. Phalangij species quædam caput ante omnia lædere consuevit. cuius rei causa eadem est, quæ superius thesi 27. fuit assignata.

LXVIII.

Ratione deniq; temporis, alia Venena citò agunt, & subitò enecant; ut omnia ea, quæ cum summo calore, partiū tenuitatē sortita sunt: alia verò tardè operantur; & longo post tempore interficiunt: vt ea quæ tam diu in habitu corporis delitescunt, donec tandem longa comminutione, quam partium

craftities

crassities exigit, vel alia aliqua occasione ad cor delata, illud sensim expugnent. talia aut sunt frigida; quibus Galenus annumerat putrefacientia ea, quæ crassa & terrea substantia sunt prædita. 5. Simpl. cap. 21.

LXIX.

Quòd autem Galenus lib. 3. de Simpl. fac. cap. 17. inquit, quædam frigida venena citò interimere; ipsemet reddit rationem, fieri id per accidens, propter caliditatem scilicet corporum, quibus admoventur. Sic enim per ascititium caloré subito comminuta, & in actum deducta, citius & facilius ad cor penetrant.

LXX.

Vndè etiam rationem reddit loco citato; cur cicuta homines interimat, sturnos nutriat, ut & alia similia: ipsam scilicet distributionis velocitatem, & arteriarum in attrahendo vim.

LXXI.

His ita enumeratis, superest ut uenena sub praxin Medici revocemus; quam in genere paucis saltem attingemus. Cùm enim variæ sint venenorum naturæ, varios item produciunt morbos, & varia symptomata; quæ hic in specie recensere, brevitati studentes, nolumus: præsertim cum horum omnium, tam generalia, quàm privata indicia, ut & speciales curationes, authores probati, non minus diligenter & exactè, quàm doctè descripserunt, in quorum numero est Dioscorides lib. 6. de materia medica, & eius commétator Mathiolus. Santes item Ardoynus in opere de Venenis, & nonnulli alij.

LXXII.

Venenum itaq; consideratur hic ratione affectus in corpus humanum impressi; quando scilicet causa morbifica evadit. qui affectus diligenter est cognoscendus, si rectè curationem instituere volumus.

LXXIII.

Affectus autem is cognoscitur per sua symptomata; quæ cùm sint accidentia consequentia ipsum morbum à veneno impressum; generaliter loquendo, vel sunt actiones læsæ, vel passiones immutatae.

LXXIV.

Actiões læsæ sunt vel Animales, vel Vitales, vel Naturales.

LXXV.

Actiões animales uel sunt internæ; ut delirium, furor, obliuio: vel externæ; ut sopor, torpor, surditas, debilitas uisus, vertigo, & similia.

LXXVI.

Vitales sunt, palpitatio, tremor cordis, syncope, lipothymia, pulsus difficilis, virium prostratio.

LXXVII.

Naturales sunt, dysenteria, tormina ventris, nausea, vomitus creber, dysuria, sudores, maculæ, exanthemata.

LXXVIII.

Passiones immutantur ratione qualitatis, vel quantitatis; & tum totius, tum partium, secundum omne genus sensuum. Cum enim venenū pro naturæ diversitate hanc vel illā partē magis afficiat, symptomata quoque hinc variare necesse est.

LXXIX.

Porro venena communis generis, cōmunia habent symptomata. Calidis, verbi gratia, supervenit mordax dolor, corrosio, febris, tabes, exulceratio, sanguinis fluxus, inflammatio, delirium, sitis, rubor. Frigidis uero stupor, horror, sopor, obliuio, desipientia, syncope, color lividus, &c.

LXXX.

Commune signū unicuique ferè veneno est, statim in principio dolorem stomachi, interdum nauseam, concitare. Plurimum autem venena per os assumpta hac ratione denotantur: quemadmodū subita cordis passio, venena exterius admota indicat. Reliqua ex ægri & astantium ore sciri possunt.

LXXXI.

Signa prognostica sunt, quod morbi, teste Hipp. 2. de Natura humana, qui à corpore membrorum validissimo (quale scilicet est cor) proficiunt, grauiissimi sunt; atque si ubi cæperunt permanferint, necesse est membrorum validissimo laborante, totum corpus affici.

LXXXII.

Venena efficacissima subito læua excitant symptomata, & statim

statim ab initio necant; remissiora verò in progressu tantùm interficiunt: quorum verò vis languidior, naturę tandem bonitate vincuntur.

LXXXIII.

Æger si quiescat, & calor ad membra redeat, spes bona est evasione. Contrà uerò, si pulsus adsit languidus, sudor frigidus, ut & extremitatum frigus, sunt mortis signa. ipsam verò mortem parvo spatio antecedunt, syncope, linguę exsertio, nigredo pupillę abscondita, tumor digitorum, & nigredo vnguium.

LXXXIV.

In curatione intentio confusa est refectio eius quod à veneni malignitate corruptum fuit: particularis verò, præservatio futuri, & curatio facti.

LXXXV.

Præservatio (in qua plus potest divina providentia, & humana prudentia, quàm Medici præscriptū) tota in diætā consistit. quò referuntur ea quoq; , quę tum veneni præsentiam patefaciunt, tum corpus à veneno præmuniunt.

LXXXVI.

Diætā verò consideratur ratione eorum quę vel intrò sumuntur, vel extrà nos contingūt; quę ne venenata sint, summa prudentia cavendum huic, qui sibi de veneno metuit.

LXXXVII.

Quę intrò sumuntur, sunt cibus, potus, & Medicamenta; in quibus spectantur ij qui exhibēt, & modus explorationis.

LXXXVIII.

Ij qui exhibent, sunt tam servi, quàm amici, & ij quibuscum conuersatur. quare in primis operā det, ut ij sint fideles, cū à nullo alio citius, quàm ab his, inevitabile venenum propinari possit.

LXXXIX.

Ad modū explorationis pertinet, ut os sæpius abluat; quò melius possit cibos venenatos à consuetis distinguere, palato & lingua, aliena qualitate, gustū impediēte, non infectis.

XC.

In cibi verò & potus assumptione cautus sit; & antequam hæc in

hæc in ventriculum demittat, diligenter exquirat sapes,
odores, colores. Sapes quidem, num sint nativi, an pere-
grini: potissimùm autem in dulcedine videndum, num sit
absoluta, vel permista; cum maximè sub melle, fel delitescat.

XC I.

Odores omnes insueti sunt suspecti: ut & colores mirè à
veneficis adulterantur: in quibus omnibus summè sit cir-
cumspectus.

XC II.

Sic medicamenta nō nisi probata, & à Medico, cuius fides
sit explorata, porrecta, assumat.

XC III.

Huc spectant reliqua; videlicet ne ignis sit lignorum vene-
natorū, vel carbonū ex plantis venenatis confectorū, quo ci-
bus vel medicamēta infici possint. Vasa quorū est in coquē-
do cibo usus, ut & reliqua omnia utensilia, pura servantur,
& benè testa; nec eò reponantur, ubi suspicio est de veneno.

XC IV.

Extrà nos attingit aer; qui ut sit pñrus, nec ulla venenata
qualitate infectus, curandum: quod fiet aerem expurgando,
igni rerum odoratarum accenso.

XC V.

Loca quoq;, de veneno, uel venenatis animalibus suspe-
cta, omnia vitentur. Nec minor vestimentorum & stragulorū
ratio habeatur, ne aliqua ratione à veneno inficiantur, cū etiā
per hæc ipsa venenum communicari posse, verisimile sit.

XC VI.

Nec tantum hæc sola præcavēda; sed etiam & ea, quæ cor-
pus ad venenum assumendum aptius reddunt; uel postquam
assumptum est, illius actionem promovent: ut sunt uehemē-
tiores corporis motus: somnus & vigilia immoderata & in-
tempeſtiva: animi affectus nimij: vita tristis: excrementorum,
& naturalium ac consuetarum evacuationum retentio & ne-
glectio: nimia repletio: & in genere loquendo, illegitimus sex
rerum non naturalium usus.

XC VII.

Quæ præsentiam veneni detegūt, varia à uarijs traduntur.
inter

inter præcipua tamen reputantur cornu ceraſtis, lapis buſonis, & lapis praſſius: hic viriditatem ſuam præſente veneno amittens; illa verò ſudorem quendam emittentia. Sic vas cuius uſus ſit in potu ex Electro minerali laudatur, quod veneno inſuſo ſtridere dicitur. Sic permulta alia apud varios Authores videre eſt.

XC VIII.

Corpus à veneno præmunientium myriades ab autoribus tradūtur. Dioſcorides inter hæc numerat Anchufam, Rutam, Scordium, Serpillum, Vetonicam, lib. 1. Simpl. Galenus 2. de Alim. cap. 28. nucē cōmunem cū ficubus & ruta cōmendat. potiſſimū aūt Theriacam in ſuis libris laudat; ut & mithridatiū, cuius lōgo uſu, Mithridates Rex Ponti, cū ipſemet ſibi propinare toties vellet venenū, ab illo inuictus evaſit. Rhaſi in Continentel. lib. 2. cap. 2. Smaragdus, ut & coralliū, & lapis Bezoar probatur. Auicennas in Canone Medicinæ li. 2. Citri ſemen commendat. Auerroes inter hæc Artemiſiam, Betoniam, Cyclamē, &c. recenſet. Oribasius compositionem baccharum lauri, & terræ ſigillatæ, partibus æqualibus oleo permixtis, cum mulſa exhibet. Alij item alia; apud quos tam ſimplicia, quam compoſita videre eſt.

XC IX.

Ad curationē quod attinet; illa tota ad morbum dirigitur: qui cum proprias habeat cauſas, & propria ſymptomata; horum correctionem, illarum remotionem moliri Medicum oportet.

C.

Cauſæ itaq; antecedentes primū omnium amoliendæ, venenum ſcilicet ipſum corpori immiſſum. Cauſæ verò coniunctæ, quibus ipſa eſſentia morbi circumſcribitur, cū ſint variæ, varia quoq; agenda Medico inſinuabunt, & omnes remedium formas præſcribent. ut & ea quæ morbo accidentaliter inhærent, quantū, quomodo, quando, & ubi operandum ſit indicabunt.

CI.

Amolitio cauſæ antecedentis ſit per ea, quæ venenum extirpant, Extirpatio autem hæc ſit ijs, quæcunq; virus exhauriunt,

riunt, extinguunt, & foras proliciunt. ubi quanta sit veneni vis, & qua parte, & quàm pridem intrò subierit, diligenter cognoscendum.

CII.

Statim itaq; ab initio, signis etiam perniciiei non apparentibus, antequam venenum altiùs in corpus penetret, & vires suas exerat, actio ipsius impediatur; & forti auxilio revellatur: quæ revulsio eadem sede fiat, qua acceptum est.

CIII.

Sic in aëre venenato attracto, per os & nares valida concitanda est expiratio, ut sic & pulmones, & aspera arteria exinaniantur: aër autem igni expurgatus, vel suffumigiù ex cordialibus factum, inspiretur.

CIV.

In morsu venenatorum animalium, ut & teli veneno infecti ictu, pars supra locum affectum, quoad fieri potest, vinculis artissimè constringatur; tum demum venenū ipsum suctione eliciatur. is verò qui fugit ieiunus non sit; sed priùs os vino colluat, aut olei exiguum ore contineat.

CV.

Quòd si succio tuta non sit, pullus gallinaceus, per mediù diuifus, proprio calore tepens, parti applicetur: vel gallinæ vivæ podex loco affecto adhibeatur, dum intereat, alia atque alia in ipsius locum substituta, donec suo calore venenum ex parte educat. Idem secundum Celsum lib. 5. med. cap. 27. præstat hœdus agnùsve discissus, uel ipsius caro calida, statim super vulnus imposita.

CVI.

Nec abs re fuerit, si locus spongia nova, lixivio forti, vel posca, uel salsamento acri, vel muria, vel aqua maris madefacta, foveatur: postmodum affixis cucurbitulis, cum largiori flamma, & altiori scarificatione; ut virus hac ratione foras euocetur.

CVII.

Ad emplastra quòd attinet, ea ad usum aptissima sunt, quæ conficiuntur ex porro, cæpa, allio, sinapi, adiecto sale aut nitro. Celsus stercus caprinum ex aceto coctum laudat, ut & allium cum ruta mistum & ex oleo tritum.

Nec

CVIII.

Nec alienum est carnē scalpello circa vulnus incidere, quò plus vitiatum iam sanguinis extrahatur; aut certè hamo prehensam totam scalpello præcidere, vel cauterium actuale administrare. quibus factis, ulcus apertum diu servetur, ut virus, si quod reliquum est, cum sanie emanare queat.

CIX.

In extremis & præsentissimis animalium ictibus, pars integra, si extrema sit, amputetur.

C X.

Venena porro intus per os sumpta, foras, subito vomitu concitato, evocentur. Vomitus autem administretur ijs, quæ simul vim veneni obtundunt: ut est butyrum cum aqua calenti haustum, adeps anserinus, decoctum malvæ, urticæ, seminis lini, vinum calidum cum ruta, &c.

C X I.

Postea verò reliquiæ intestinis adhærescentes clystere forti educendæ, quæ variè pro ægri natura, & veneni vi administrari possunt.

C X I I.

Deniq; si adhuc suspicio sit, restare quasdam pernicipiæ reliquias, hæ obtundendæ ac restinguendæ erunt alexipharmacis, & antidotis. quæ quâ ratione venena vincant, videre est apud Gal. 5. Simpl. cap. 17.

C X I I I.

Vtile quoq; fuerit venarum ductus adstringere, ne vis maligna repente in principes partes inuadat: quod fiet ijs, quæ simul venenis resistunt; ut est terra Lemniæ, bolus Armena. quæ ut reliqua enarrata, in alijs etiam venenis multum proderunt.

CXIII.

Diæta secundum affectuum uarietatem instituat. Potissimum autem huc vocanda ex sex rerum non naturalium numero, quæ accommodata videntur. quæ omnia prudens Medicus, pro veneni natura, & ægri constitutione administrabit; cum hic singula recenseri nequeant.

Sympto-

CXV.

Symptomatum tandem cura est habenda, interdum quidem ante veneni sublationem, si vehementer urgeant, & vitæ exitium minentur; interdum verò post. Vbi ad hunc scopum actiones omnes sunt dirigendæ, ut ei quod magis urget, primò occurratur, reliquis tamen non neglectis.

KAI' TAYTA MEN AH TAYTH.

Etenim

*Hic voluisse sat est, Christo sint
cætera curæ.*

ΜΟΝΟ ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ.

